



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLIII. ad annum DLXXVII.

Parisiis, 1644

II. Vt monasteria ei subsint episcopo, in cuius territorio sita sunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15324

498 VIGILIVS PAPA. CONCILIVM IUSTINIANVS IMPERAT.
CHILDEBERTVS REX FRANC.

CANONES.

ANNO
CHRISTI
III.

I.

Vt oblatæ, quæ in sancto offeruntur altario, a comprouincialibus episcopis non aliter nisi ad formam Arelatensis offerantur ecclesiæ. Quod si aliter aliquis facere præsumperit, tamdiu sit a communione, vel a caritate fratrum seclusus, quamdiu ipsum cœtus synodalis receperit.

II.

Vt monasteria, vel monachorum disciplina, ad eum pertineant episcopum, in cuius sunt territorio constituta.

III.

Vt abbatibus longius a monasterio vagari sine episcopi sui permissione non liceat. Quod si fecerint, iuxta antiquos Canones ab episcopo suo regulariter corrigantur.

IV.

Vt presbyter diaconum vel subdiaconum de ordine deponere nescio episcopo suo non præsumat. Quod si fecerit, illi in officio vel communione recipiantur, & ille anno integro a communione priuatus, officium implere penitus non præsumat.

V.

Vt episcopi de puellarum monasteriis, quæ in sua ciuitate constituta sunt, curam gerant; nec abbatisæ eius monasterii aliquid liceat contra regulam facere.

VI.

Vt clericis non liceat facultates, quas ab episcopo in usu accipiunt, deteriorare. Quod si fecerint, si iunior fuerit, disciplina corrigatur: si vero senior, vt necator pauperum habeatur.